



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

Capvt VII. Ipsa vitia diuitijs pariter, & diuitibus obesse: ac proinde vel hinc opes, tamqua[m] spinas & laqueos, habendas, immò abijciendas esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

subtrahit, quæ ipse calcabat, vel quæ præ-  
posterè adorabat; ita quisquis videt alterum  
ad inopiam redactum, non illicò iudicare  
debet, id eum suis peccatis meruisse. Spolia-  
tus est & Iob: num meruit spoliari? Nequa-  
quam, sed spoliatus est, vt virtutibus ditior  
fieret. Ita & de alio, & nisi tibi malè con-  
scijs es, etiam de te ipso cogita. *Arca exi-* S. Augusti  
*nanita est auro, cor plenum est fide. Foris pau-* loc. cit,  
*per es, sed intus diues es. Diuitias tecum por-*  
*tas, quas non amitteres, etiamsi de naufragio*  
*nudus exires.*

### CAPVT VII.

*Ipsa Vitia diuitijs pariter, & diuitibus ob-*  
*esse: ac proinde vel hinc opes, tamquam*  
*spinas & laqueos, habendas, immò*  
*abijciendas esse.*

§. I.

*Superbia auaritia amica, & inimica.*

**N**terim verum est, auaritiam aua-  
ritiæ obstare; vsq; adeò non mo-  
dò reliqua illi vitia aduersantur,  
verùm etiam ipsa se ipsam affligit, dum me-  
retur mœsta perdere, quod iniquè corrasit.  
Vt autem plures habeat tortores, omnia

L 3

ferè

ferè etiam reliqua vitia illam impetunt; im-  
mò acuunt, vt in acerbiorem illius crucia-  
tum diuitias destruant. Superbia, vt ha-  
beat, vnde se iactet, vnde pretiosè vestiatur,  
vnde dapsiliter epuletur, vnde habitet ma-  
gnificè, vnde parasitorum & adulatorum  
turbas alat, vnde totas pompis aulas imple-  
at, auara est. Hac ancilla vtitur, hanc vt fi-  
liam adhibet pecuniarum collectricem; im-  
mò, ne quidquam monstro desit, hanc co-  
lit vt genitricem. Faciunt enim diuitiæ, si-  
ne moderatione amatae & coaceruatae, su-  
perbos; & à superbis, per vices nunc eumu-  
lantur, nunc dissipantur. Hæc in vitijs ro-  
ta est: vt se vicissim generant, ita vicissim  
quoq; eneruant. Quidam auari sunt, vt possint  
superbire; & rursus omnia dispergunt,  
vt superbiant. Neque enim magnifici illi  
sumtus fiunt, sine profusione pecuniarum.  
Vnde tam grauis est inter hanc matrem &  
filiam pugna. Superbia dicit, Eme tibi titu-  
los, eme honorem, eme nobilitatem; Aua-  
ritia reclamatur, & ait, Tantam pro vno no-  
mine Nobilis, Baronis, Comitum pecuniam  
expendes? dabis trecentos, dabis quingen-  
tos, dabis ter aut quatuor mille Philippæos,  
vt tantillum ceræ & chartæ Pergamænæ re-  
cipias.

cipias? Apud quosdam vincit Auaritia, apud alios Superbia dominatur. Hæc ait, Instrue conuiuium; inuitandus est hic, & ille, & ille, qui scire debent, quantum possis: At illa respondet, Cras, finitis epulis, quid habebis? veniet lanio, aderit caupo, pulsabit ostium, qui aues, qui pisces, qui obsonia volet solui. Superbia non vult tolerare vestes attritas, mittit, qui sericum afferat, qui purpuram venalem inquirat. Auaritia ait: Etiam centones arcent frigus; adhuc vno anno tunica facilè durabit; melius est, non profiteri vestibis pretiosis diuitias; præstat marsupium, quàm pallium auro fulgere. Et mille talia. Quantum feminæ pecuniarum perdant in mundo muliebri, in libro de Monstris ostendi; quantum impendant filij ac filia in superbiam, experiuntur miseri parentes. Vno verbo, quidquid reclamet Auaritia, Superbia vult esse sumtuosa; & superbus

*Illecebris capitur, nimiumq; elatus auaro  
Pascitur intuitu.*

Claud:  
lib. 1. in  
Ruffin.

§. II.

*Prodigalitas auaritia aduersa.*

Trahit plerumque Superbia secum comitem prodigalitem: prodigalitas autem

L 4

diuitijs

Pontan.  
cap. 3. de  
Magni-  
ficentia.

diuitijs est in primis inimica. Iuuenes prodigi, senes auari: illi quia nondum sciunt, quid pecuniæ profint, nisi plena manu profundantur: isti, quia semper metuunt, ne desit, quo vivant. Demadem Atheniensem non admodum senem fuisse iudices, quia admodum prodigus fuit. Nam pecunias amplissimas facile effudit, mirificamq; pecuniæ vim in res turpes contulit. Lege enim Atheniensium cautum cum esset, ne quis peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum multa indicta ei, qui ludos ederet: Demades ludis suis centum peregrinos, qui saltarent, mercede conductos in theatrum induxit, centies mille drachmis solutis. Fuit qui in meretrices totos modios pecuniarum expenderet; Alexandrina Thais totam iuuentutem Atticam, & cum ea immensas ad se opes attraxit. Neq; enim cum Demosthene dixerunt: *Non emo poenitere tanti.* In leones, in elephantos, in spectacula & theatra, quantum argenti expensum est olim? Marineus, dum Granatæ vrbis in Hispania agrum à fertilitate laudat, testatur eum ex arborum folijs, è quibus fit sericum, singulis annis, vestigal aureorum millium fere triginta quinque regibus

Marin.  
l. 20. 1er.  
Hispan.

regibus pendere, præter multas ferici libras.  
 Hæc nisi emptores prodigos haberent, non  
 venderentur. Sed vestibus maior est excu-  
 satio. Vidi, qui multas pecunias daret ijs,  
 qui sibi ab eo barbam prolixius pendentem  
 curtari, aut capillos Absolonios tondere,  
 paterentur. L. Neratius, cùm, authore Gel-  
 lio, pro delectamento haberet, os hominis  
 liberi manus suæ palmâ verberare; seruum  
 comitem trahebat, crumenam plenam assi-  
 um portitantem. Et quemcumq; depalma-  
 uerat, numerari statim, secundùm duodecim  
 Tabulas, XXV. asses eidem iubebat. Expli-  
 cari non potest, quantum in minutissimos  
 lapillos, dummodo pulchrè luceant, expen-  
 datur, tametsi neque pro sanitate, neque  
 pro re alia seruiant. Nonnè præstat non ha-  
 bere pecuniam, quàm habere & perdere in  
 tales vsus? ideòne sudatur, vt habeatur,  
 quod sic expendi possit?

*Censibus æquantur concha.*

§. III.

*Ira, pigritia, auaritia quantum noceat di-  
 uitibus?*

Sunt & alia vitia Charybdes nummo-  
 rum. Ira quid non amisit sæuiens in suum  
 damnum? quas non opes & vrbes euertit.

L 5

furor?

Manil.  
lib. 5.  
Astron.

**Prouerb.** furor? Pigritia quid non neglexit? *Paulu-*  
**6., 10.** *lum dormies, paululum dormitabis, paululum*  
*conferes manus, ut dormias: & veniet tibi, qua-*  
*si viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus,*  
*ultro obuiam ibit, & instar militis, immò*  
*hostis, te spoliabit, ait Salomon. Ac rur-*

**Prou. 20:** *sus: Propter frigus piger arare noluit: mendi-*  
**4.** *cabit ergò aestate, & non dabitur illi. Et quid*

**Luc. 16. 3.** *daretur illi, qui ait: Fodere non valeo, mendi-*  
*care erubescō? Quanta pretia homines per*  
*guttur transmittant, quot thesauros ven-*  
*ter hauriat, quis computabit? Multi, quid-*  
*quid tota hebdomade lucrati sunt, die Do-*  
*minica, ad cauponem ferunt; saturantur*  
*vno die, vt fameant & sitiant tota hebdo-*  
*made. Quamquam aliquos auaritiæ tyran-*  
*nis perpetuâ inediâ cruciet. Nam iuxta ve-*  
*tus prouerbiū, quod Pollux citat:*

**Pollux**  
**lib. 6. de**  
**rerum**  
**vo-cab,**

*Difficilis emptor haud bona emit obsonia.*  
 Numquam enim audent satis emere, quare  
 neque vñquam satis possunt comedere.  
 Fuit in vicinia hac nostra, qui, cū mensa  
 accumberet, tres crucigeros extraxit è cru-  
 mena, eosque sub hydria posuit, pro cere-  
 uisia emenda. Sed antè, quàm emerere,  
 aquam exiguis haustibus bibit. Aqua quia  
 sapuit, cereuisiam non emit, Finito pran-  
 dio,

dio, aut cœna, monetam in marsupium reponens dicere solebat: *En meos tres cruciferos retinui, Et tamen satis bibi.* Ita Genium suum defraudauit, immò auaritiam suam, ipse plexit.

*Tantalus à labris sitiens fugientia captat  
Flumina. quid rides? mutato nomine de te  
Fabula narratur: congestis undique saccis  
Indormis inbians, & tamquam parcere  
sacris*

Horat.  
lib 1.  
Sat. 1.

*Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis,*

*Nescis quid valeat nummus, quem prebeat  
usum.*

*Panis ematur, olus, vini sextarius, adde*

*Quis humana sibi doleat natura negatis.*

Sacrum oraculum est; *Viro cupido & tenaci* Eccli. 10.  
*sine ratione est substantia, & homini liuido ad 3.*  
*quid aurum? Qui acernat ex animo suo iniuste,*  
*alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.*  
*Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? &*  
*non jucundabitur in bonis suis, Ethnicum audiamus.*

*Immunifico scis quid cantari solet: Quod  
habes, ne habeas.*

*Et illud: Quod nunc non habes, habeas ma-  
lum, quandoquidem*

*Nec*



*Nec tibi bene esse potes pati, nec alteri,  
Cùm interea frugalitate contento bene sit,  
& ita bene, vt Ioue hospite dignus iudice-  
tur. Quales fuère Philemon, & rustica illa  
Baucis, qui paupertatem ferendo leuem ef-  
fecère.*

Horat.  
lib. 1. ep.  
12. ad Ic-  
cium.

*Si rectè frueris, non est, vt copia maior  
Ab Ioue donari possit tibi; tolle querelas:  
Pauper enim non est, cui rerum suppetit  
usus.*

*Si ventri bene, si lateri est, pedibusq; tuis,  
nil*

*Diuitia poterunt regales addere maius.  
Si fortè in medio positorum abstemius, her-  
bis*

*Vinis & vrtica: sic viues protinus, vt te  
Confestim liquidus fortuna riuus in auret.  
Vel quia naturam mutare pecunia nescit,  
Vel quia cuncta putas unâ virtute minorâ.*

§. IV.

*Inuidia auarum plectens pecuniâ.*

At, ne inuidia fortasse hîc nihil negotij  
gerere videatur, audite, obsecro, inuidiam  
auaritiam, aut auaram inuidiam. Refert  
idoneus author Ioannes Nider, à fide dignis  
hominibus se intellexisse, suoq; tempore,  
Constantiæ accidisse, vt quidam collectis  
multis

Ioan. Ni-  
der lib. 3.  
cap. 5.  
Formica-  
rij.

multis nummis argenteis, ijsque partim seruandis, partim dissimulandis, rogaret, in commune valetudinarium admitti, atque inter pauperes ali. Impetrauit. ibi, velut Tantalus inter aquas, maluit carere delitijs, quam diuitijs. Itaque, ne suos nummos cogere tur expendere, pulmentis atque olusculis victitauit, magis nummorum suorum aspectu, quam ciborum vsu pastus. Postquam satis diu hanc miseram vitam vixit, tandem morbo afflictus, mortem sensit in foribus esse, dolensque sibi adhuc pecuniam superesse, qua neque ipse vsus erat, neque alios gaudere volebat, mirabile consilium cepit. Siquidem *de farina auena sibi pulmentum impatientissime clamabat preparandum. Quod cum factum esset, sedit egrotus solus, more solito, in lecto, & loco micarum panis minutatim spargere cepit denarios, quos occultauerat, in pulmentum auenaceum, quasi panem intereret. Quis non diceret, auri atque argenti sacram esse famem? Ne alijs, quod comparsum erat, relinqueretur, ipse deuorauit, sed non sine diuina Nemese. Nam vbi, arrepto cochleari, auidissime argenteam offam cepit ori inferre, illico suffocatus est; vt eadem operâ & peccatum, & poena peccati iungerentur. Quamquam,*

VL

Martial.  
l. 8.

Luc. 12.  
10,

vt malum multiplicaretur, etiam amentia cum stultitia iuncta fuit. I, auare, *Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.* Condas licet, relinquendum est: deuores licet, relinquendum est, & fortè *hac nocte animam tuam repetunt à te.* Nonnè meritò Dominus talem *stultum* appellauit?

§. V.

*Tragicum auaritia in se ipsam sciens exemplum.*

Anton.  
Balinghem in  
Zoopæd.  
tit. Ho-  
spitalitas,

Nemo sapiùs scilicet veriusque ludit Heautontimorumenon, quàm auarus; qui & in aliorum exitium viuit, & in suum. Quod plus quàm Tragico exemplo docet Antonius Balinghem. E Martia Polonorum gente non nemo fuit, patria Pultouiensis, cui vita militaris placuit. Castra igitur secutus, complures annos, à domo paterna abfuit, seu prædis, seu stipendijs insigniter ditatus. Tandem Sagum togâ mutare, ac postliminio domum redire statuit, vt acquisita exoneraret, suasque opes cum parentibus communes faceret. Sed quia diurni temporis absentia magnam in vultu habituque mutationem induxerat, neque noscebat suos redux, neque noscebatur. Iam in conspectu vrbs patriæ erat, cum obuiam habuit mulierem

liorem ignotam, ex negotio in rus egressam, quam, data acceptaque salute, interrogauit: An tales, & tales (& nominauit suos parentes descripsitq;) adhuc in uiuis essent, si fortè eos nouisset? Respondit mulier; Et Noui, quia illorum sum filia, & superstites sunt, recteque valent. Ad quod verbum lætitia plenus miles: Quod benè vertat, ait, Et ego illorum sum filius, ac proinde tuus frater. Cùm in ambiguo staret illa, & intonsum illum quasi dubitans curiosiore aspectu consideraret, miles ex equo desiliens, renudato paulisper brachio, En, inquit, vt me fratrem tuum esse credas, signū mihi à natura & matre impressum, domesticisq; dudum familiare. Agnito signo, soror præ gaudio exilit, fratrique, ambabus manibus in collum iniectis, faustum reditū gratulatur; quem multis quæstionibus fatigatum, & longo sermone detentum, tandem bonis auibus porrò pergere iubet ad parentes, qui illum nihilo magis essent agniture; dum, peracto ipsa foris negotio, postera luce, eo esset, sicut maiore, ita & iucundiore otio fruitura. Ita in diuersum viam prosequuntur, illa ad pagum, ille ad urbem, Vti prædixerat soror, ita euenit.

Nam

Nam vbi domum redijt miles, neque à pâtre fuit, neque à matre agnitus. Hospitium nihilominus petijt; neque negatum est, quamuis peregrino, erat quippe hospirium publicum. Et libuit militi, ad augendum crastinum gaudium, sub peregrini nomine latere. Iubet tamen parari cœnam lautio-rem, ad quam vtrumque parentem inuitat. Edunt splendidè, bibunt largiter, viuunt iucundè, dum filius lætatur se esse apud genitores, & genitores nesciunt à quo hospite tam lautè liberaliterque tractentur. Ibat jam comessatio in seram noctem, & militis itinere vinoque fatigati oculi conuiuebant in somnum. Remouetur mensa, surgitur, secundùm cœnam, antè, quàm miles in lectum se projicit, sarcinulam profert, quam admodum grauem, ignotus adhuc parentibus diligenter asseruandam tradit, existimans tandem spoliū suum in bonas manus venisse custodiendum. Ita securè cubitum concedit. Huc vsque omnia læta. Nunc de focco ad cothurnum transit narratio, & ostendit, quàm verum sit illud S. Cypriani dictum: *Vsque ad mortem domini amor lucri se ingerit.* Filio altùm dormientè, primas egit curiositas. Nam sarcinulam è pondere astimantes

mantes aperiunt seorsim parentes, visuri, quantum ea auri, quantum argenti contineret. Reperiunt aurum esse, quidquid intus est. Heu quàm facilè vitium vnum alteri viam aperit! Præit curiositas; comitatur cupiditas; sequitur crudelitas. Vident auri summam esse grandem, atque auaritia cæci, non vident suam futuram, nisi impotenter appetiissent. Vt itaq; depositum non repeteretur, hospitem necare statuunt, cum quo paulò priùs hilariter erant epulati. Multa hîc sese offerunt consideranda. Nam & pecuniarum amatores hîc discere possunt, quid ament, & an non verum sit, quod vulgò dicitur, *Hostem secum ferre, qui pecuniam secum ferant*. Deinde quale bonum sit, quod plus secum detrimenti affert, quàm lucri. Tum quàm fluxum sit bonum, quod multis annis, & magnis curis acquisitum, vna nocte perditur. Denique quàm suspectum debeat esse bonum, cum quo sæpe vita, sæpe etiam ipsa anima amittitur. Certè huius boni possessores quos insidiatores non alliciant, si paternas manus armant in cædem filiorum? Dormiebat iam somnum suum filius diuitiarum, cum in exitium eius consularunt progenitores. Mulier viro audacior;

M

dacior;

dacior; & imbecillior sexus fortior in impij  
 facinoris crudelitatem, cultro manum ar-  
 mat, & intrepida mater intrat in cubile, fi-  
 liumq; iam diu numquam suauis sopitum,  
 parriedali ferro contrucidat. I nunc mi-  
 les, hoste tot annis superior; hæc militie  
 tuæ coronis est, isti spoliolum tuorum sunt  
 triumphum, muliebri, immo materna tandem  
 dextera cecidisti. Vitam inter tot enses inq;  
 tot prælijs seruatam aurum prodidit. Ad-  
 huc viueres, si ex bello nihil attulisses; tan-  
 to securior, quanto pauperior. Nunc pecu-  
 niam non sine sanguine partam, non sine  
 sanguine atque vita amisisti. Corpus adhuc  
 in sanguine suo palpitans de lecto detrahi-  
 tur, effossaque humo clam sepelitur, ab ijs  
 dem mundo sublatum, qui id mundo viuum  
 dederunt. Triumphata Plute, triumphata Plu-  
 to, ob aurum, hominem obruncarunt ijdẽ,  
 qui genuerunt. Quamquam hominem sibi  
 incognitum adhuc, vt, postquam cognosce-  
 rent, acerbius lamentarentur. His enim  
 in hanc modum perpetratis, nocte omnia  
 tegente, quam primùm sol diem reuexit,  
 criminis quoq; detecta est magnitudo. Vix  
 enim lucem claram expectare potuit absens  
 soror, cum, adhuc rubente celo, ad urbem  
 aduola-

aduolauit, fratris alloquendi desiderio tota flagrans. Pulsat ianuam, aperitur. Prima vox fuit, *Et ubinam est frater?* Mirantur genitores quæstionis nouitatem. Instat illa: negant illi, nescij, quid sibi puella velit. Rogat denuò filia, *ubi frater?* neque enim rem sibi iam notam certamq; vel negandam, vel vltro, per iocum dissimulandam. Aiunt illam deliria loqui, nihil enim sibi de fratre constare. Enimuerò, ait, fratrem meum adesse scio, qui mihi heri, tali hora, tali loco, tali habitu oris & vestis, tali denique statura, in campis obuiam factus est. Fateor, multum mutatus ab illo, qui à nobis discessit, nec mihi quidem amplius agnoscendus, nisi sese natalitio brachij signo ostenso prodidisset, dixissetque rectà ad parentes diuersurum. Dixisses fulmine caelesti percussos, ita ad hunc filia sermonem expalluerunt obstupueruntq; miserandi parentes. Facti enim conscientia exhorrescentes capillos de capite euulserunt, sibiq; ipsis, ob immane parricidium, intolerabiles visi, inconsolabilibus lamentis, domum, urbem, cælum impleuerunt, optantes nullum vniquam aurum, in mundo extitisse. Et quamuis iudicis pœnam meruissent, ipsi tamen

M 3

intem



intemperijs agitati, carnificem praeuen-  
runt, vindicesq; manus in se conuerterunt.  
Tota itaque ea die pater, in tristitia, inedia,  
ac desperatione transacta, nocte proxima,  
urbem solus absque arbitro egressus, è pub-  
lico se ciuitatis patibulo suspendit, vt è sub-  
limi loco altiùs ad Tartara descenderet; ma-  
ter autem eodem, quo pridie filij fauces  
iugulauerat, cultro etiam suum guttur dis-  
secuit; filiâ, inter tria cadauera, aurum,  
cupiditatem, & diuitias detestante. Ac  
historia hæc vim vetustate perdat, contigit  
ea nostro sæculo, anno scilicet 1618. die  
15. Maij. In qua Mundus videt auri vim,  
qua non solum, spe adeundæ hæreditatis,  
filij rapiuntur ad necandos parentes, sed  
ipsi quoque parentes præcipitantur, vt na-  
tos suos è viuis auferant, quibus vitam de-  
derunt. O mater crudelis, & sauior Medea!  
ô noua Progne, quæ, Deo vindicante, Ity  
ipsa suum concidit! & prolem, quam vte-  
ro texerat, nunc ingesta terra occultauit,  
ignara quid faceret. Adeò cæcos & amentes  
facit aurum; adeò sæuit, adeò furit.

## §. VI.

*Diuitiarum execratio.*

S. Chryl.  
tom. 5.

Diuinè Chrysostronus ait: *Fugitua diui-*  
*cia*

homil.  
Cum Sar-  
toninus.

tie sunt, ab hoc in illum transeuntes, atq; uti-  
nam transissent solum, non etiam occidissent:  
nam praterquam quod deserunt, etiam gladio  
tradunt, & in barathrum pertrahunt; eò quod  
sunt periculosa proditrices, & cum his potissi-  
mum bellum gerunt, à quibus amantur; in-  
grate sunt, fugitiua, homicida, crudeles, im-  
placabiles, bestia incurabiles, precipitium un-  
dequaque præruptum, scopulis assiduis plena,  
& fluctibus; & mare innumeris ventis agita-  
tum; tyranni acerbè imperantes, domina quo-  
uis barbaro fauiores, inimica irreconciliabiles,  
hostes implacabiles, & qua numquam erga eos,  
à quibus possidentur, remittunt similitatem.  
At non ita paupertas, qua quidem est tutum  
asylum, portus tranquillus, perpetua securitas,  
delicta periculorum expertes, voluptas sincera,  
vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara,  
copia inexpugnabilis, Philosophia parens, fre-  
num intemperantia, supplicij sublatio, radix  
modestie. Quare igitur hanc fugientes, illas  
amatis? illas hostes, illas homicidas bestia qua-  
uis fauiores?

§. VII.

Cur diuitie spinis comparentur?

Quæ cum ita sint, num Christus nimium Luc. 8. 14.  
dixit, quando diuitias spinis comparauit?

M 3

Spinæ

Spinæ sepiunt rosas, & pungunt eos, qui  
 florem volunt carpere. Collige aurum, &  
 senties aculeum. Inter spinas & vepres,  
 viperæ, colubri, bufones nidulantur, &  
 omnis generis animalia venenata: inter di-  
 uitias ô quæ non sunt venena, quæ non  
 crimina? quæ fraudes, quæ furta, quæ infi-  
 dia? quæ cædes, quæ spoliationes? E spi-  
 nis rident rosæ, nitent lilia, quæ nisi sum-  
 mâ cautelâ non leguntur; aculei enim ve-  
 dique, velut hastæ porriguntur, adhærent  
 vestibibus, & si non lædunt manum, saltem  
 metu terrent: è diuitijs multa commoda  
 percipi possunt, sed magna opus est attentio-  
 ne, incredibili vigilantia; certè neq; curæ  
 desunt, neque sollicitudines, vbicumq; sunt  
 diuitiæ. Quod in parabola diuitis, qui plu-  
 rimum fructum collegit, à Christo Domi-  
 no est manifestatum. Ille enim, cùm interdum  
 magno labore multa congregasset, noctu so-  
 mni & quietis expers, secū tacitus dicebat:  
*Quid faciam?* Anxij vtique verba hæc sunt.  
 Opes illum dormire non sinebant. Et quid  
 mirum? Si enim diuitiæ spinæ sunt, quis  
 super spinas dormire potest? Nimirum vel  
 idcirco Deus opes spinis cingit, vt sentiat ear-  
 um amator, quid ambiat; & agnitâ beni-  
 gnâ

Luce. 12.  
 17.

gni monitoris manu, dicat: *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conuersus sum in aramna mea, dum configitur spina.* Et

Pfal. 37<sup>vsq</sup>

quamuis nonnulli diuites diu non sentiant aculeum diuitiarum; tamen illæ, quemadmodum spinæ, in fine desinunt in cuspidem, qua vulnerant. Multi enim, dum viuunt, voluptatibus sopiuntur; ast in fine vitæ, cum moriendum est, atque in iudicio Numinis aculeum persentiscunt. Tunc enim extrema

Prou. 14

*gandij luctus occupat.* Quod, ne fiat, monet

13.

Psalmistæ: *Diuitia si affluant, nolite cor apponere.* Quibusdam enim, tamquam ex Amal-

Pfal. 61.

11.

theæ cornucopia, toti diuitiarum torrentes affluunt, à quibus si se rapi sinunt, deorsum labuntur & rapiuntur ad Phlegethontem, Niti ergo debent contra torrentem, vt sursum ferantur, & cor in altum erigant, neque absorberi à cupiditate sinant spinis implicatum. Quisquis aurem aurum iudicat esse thesaurum, cor apponit, quia, teste Christo, *ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quod S. Antoninus docet illo auari exemplo, qui morti propinquus, morbo se intendente, iussus est, conscientiam excutere, & rationem inire scelerum expiandum. Sed surdo canebatur. Instabant ami-

Matth. 6<sup>i</sup>

21.

S. Anto-

nin. in

summa. 2<sup>o</sup>

p. tit. 1.

c. 4. §. 6<sup>o</sup>

ci, vrgebat sacerdos: ille autem negabat, id sibi integrum esse; eò quòd cor sibi praesens non esset, sed illud auulsum è pectore, inter aureos in cista nummos attineretur. Dixit, & vixit. Vt dicti fides constaret, referatâ cistâ, miserum cor, mille curis, tamquam spinis, confossum, in medio fulgentium nummorum repertum est. Quo prodigio, quid aliud dicere voluit benignus hominum pater, quàm, *Diuitia si affluant, nolite cor apponere?* si arrideant, nolite totis manibus inuolare, sed eas non secus ac spinas tractate. Spinis enim, si quando portandæ sunt, aut attingendæ, trepidis & cautis, non pressis manibus tangimus, libenterque dimittimus. Sic & diuitiæ non sine metu sunt apprehendendæ, & explicatis manibus à nobis dimittendæ, quando vel merces, vel eleemosyna danda, vel liberalitas, vel patientia in earum amissione exercenda. Quisquis eis cor apponit, adhamatur: quisquis illas pressis manibus retinet, sauciatur. Faciliusque est spinas induere, quàm euellere.

## §. VIII.

*Cur diuitia laquei vocentur?*

Nec spinis tantùm diuitiæ, sed etiam laqueis

Psal. 61.  
81.

queis comparantur, quibus Stygij anima-  
 rum venatores humanum genus solent ir-  
 retire, teste S. Bernardo in illud Psalms: *Ipsè*  
*liberauit me de laqueo venantium.* Horum  
 autem venatorum laquei sunt tentationes  
 atq; peccata. In quos laqueos incidunt, qui  
 diuitias sitiunt. Quid enim mali non faci-  
 unt, vt bona caduca adipiscantur, vt amif-  
 sa recuperent, vel vendicent? Hoc est, quod  
 Apostolus commonuit: *Qui volunt diuites*  
*fieri, incidunt in tentationem & in laqueum*  
*diaboli.* Inter omnia metalla auro nullum  
 est nobilius, sed nullum quoque grauius;  
 quo ipso pondere auri Conditor voluit ho-  
 minibus indicare, quantum sit in eo onus,  
 quantum corporis & mentis impedimentū,  
 ad cælum euolare cupientis. Qua de caussa  
 etiam Poëta ait:

*Diuitias fugito, pondus graue celsa petenti:*  
*Impediunt animū, nec bene velle sinunt.*

Parum refert, aureis, an ferreis compedibus  
 ligeris. Absalom pulcherrimos nutriebat  
 capillos, adeò vt nonnulli scribant, illos in  
 ornamentum à mulieribus emtos. Illi ta-  
 men ipsi pulchri capilli in laqueum ei fue-  
 runt, quo suspenderetur. Quin & in onus;  
 indicat enim diuina pagina, cesariem eum

S. Bern.  
 in Psal.  
 90 ho-  
 mil. 3.

1 Tim. 6.  
 9.

2. Reg.  
14. 26.

§ Chry-  
sost. hom.  
7. de pœ-  
nit.

grauasse, eaq; propter tondebatur, & quan-  
do tondebat capillum, ait (semel autem in anno  
tondebatur, quia grauabat eum casaries) pon-  
derabat capillos capitis sui ducentis siclis, ponde-  
re publico, id est, ducentis vncijs. Tales sunt  
diuitiæ, & onerant, & ligant, atque idcir-  
co pili faciendæ, & rondendæ. Quocirca  
rectè monet Chrysostomus: *Superflua quæq;  
amputa, & fac pauperibus supplementum.*  
Nam si calceamenta quis supra mensuram pe-  
dibus adegerit, itinere certè prolixiore sentiet  
impedimenta; & vestimentum induens corporis  
staturam excedens eodem implicabitur modo.  
Quòd si superfluum ubiq; inutile est, in pecuniâ  
fortius multò: & qui supra quod satis est, ha-  
bent, non modò in ipsa sufficientia, sed in quibus-  
dam necessarijs impediuntur. Nam qui de foris  
in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta;  
viam verò in calum ferentem, & eandem ar-  
duam, & arduam tot cum impedimentis, qua  
modo poteris ambulare? *Veloci enim & expe-  
dito cuiquam panè impossibile est consequi salu-  
tem.*

§. IX.

*Pecunia iniuste acquisita, utiliter perditâ.*  
Quam vt nonnulli consequantur, sin-  
gulari beneficio Deus ab eis opes, tamquam  
onera

onera & laqueos, aufert, vt ostendat, non  
 solùm malè parta, malè dilabi; sed etiam  
 vtiliter amitti, quod acquisitum est flagitio-  
 sè. In quam rem D. Gregorius Turonensis  
 hanc historiã memorat. *Quidam apud Lug-*  
*dunensem urbem vix ita laborans, ut unum*  
*trientem posset habere, accensus auri execrabi-*  
*lis sacra fame, voluit per eam sacculi ora reple-*  
*re, iuxta illum Prudentij nostri versiculum:*

S Greg.  
 Turon.  
 de glor.  
 Confess.  
 c. 109.

*Auri namq̄, fames parto conquiritur auro.*  
*Igitur de hoc triente vinum comparat, admix-*  
*tusq̄, aquis, iterum per argenteos venundans*  
*duplat pecuniam. Hoc iterum atq̄, iterum agit,*  
*& tam diu turpis lucri secutor est factus, usque-*  
*quo centum solidos de hoc triente lucraretur.*  
*Sed iudicium Dei confutauit lucra diaboli. Con-*  
*gerens enim auarus negotiator aurum in saccu-*  
*lum, possessurus pecuniam vnius hora momento,*  
*alterius negotiatoris nundinas adit. Extra-*  
*eloq̄, triente, quasi aliquid negotiaturus, collo-*  
*qui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex*  
*pelle Phœnicea, sicut his manu gestare mos est:*  
*& ecce subito adueniens miluus rapit eum pedi-*  
*bis atq̄, discerpere tentat, putans a colore par-*  
*tem aliquam carnis esse. Sed cùm nihil pingue-*  
*dinis sentiret in eo, euolans super alueum Ara-*  
*ris, de quo hic aquas hauriens vino miscuerat,*  
*laxatus*



*laxatum sacculū deiecit in flumen. At ille, apprehensis capillis, elidens se ad terram, spargensq; puluerem super caput aiebat: Va mihi, qui iudicio Dei oppressus perdidit pecuniam, qua iniquè fuerat aggregata. Nam ex uno triente centum erexi solidos. Nunc perditis centum solidis, vnus tantum mihi remansit triens. Va mihi, sicut feci, sic recepi: & qui nihilo eos habuit, ad nihilum rediisse conspicio. Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in Tartarum. Tale enim commercium & in presenti damni notam ingerit, & in futuro diuersarum pœnarum genera parit. Vides lector, 1. quò ducat lucri cupiditas? 2. quas fraudes comminiscatur? 3. quas artes doceat cauponantem? 4. Quàm citò malè parta, malè dilabantur? 5. Sed & quanta benignitate Deus iniusta lucra auferat? iustum trientem solùm relinquat? 6. Quàm vtile sit iudicia Dei agnoscere, atque æquo animo ferre? 7. Denique infamiae notam, & Tartari pœnam, quæ sequitur eos, qui malis artibus volunt diuites fieri: illi enim *incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, qui irretitos trahit in exitium sempiternum,**

1. Timi  
6. 2.

CAPVT